



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sol Triplex In Eodem Universo

Hermann, Amand

Sultzbaci, 1676

Religioni Franciscanæ. Sub Tutela Reverendissimorum, Admodùm
Reverendorum, Reverendorum Patrum, Ministri Generalis Totius Ordinis S.
Francisci. (Tit.) Commissarii Generalis Super Familiam Cismontanam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95850)



RELIGIONI FRANCISCANÆ.

SUB TUTELA

REVERENDISSIMORUM,

Admodum Reverendorum, Reverendorum Patrum,

MINISTRI GENERALIS

Totius Ordinis S. Francisci,

(Tit.)

COMMISSARIJ GENERALIS

Super Familiam Cismontanam Observantium

& Reformatorum.

(Tit.)

In Capitulo Generali Romano moderno 1676.

vigesima tertia Maij electorum,

Nec Non

MINISTRI PROVINCIALIS,

PATRUM PROVINCIAE, CUSTODIS,

ET DIFFINITORUM

Provinciae Bohemiae,

Superiorum meorum respectivè Observandissimorum,

colendissimorum.

Reverendissimi & Admodum Reverendi Patres,

Superiores dignissimi.



utelam quoque Vestram implorat gratiosissimam Sol
meus triplex, qui ex pulvere & sudore typographico eo prodit tempore,
quobis triplicata annorum capitulari revolutione Atlantibus defatiga-
tis prioribus qui portabant Orbem, vos in locum eorum electi successi-
stis Hectores, vel exinde novus, quia cum novis prodit Superioribus, vel
exinde bis ter fortunatus, quod veriore vicissitudine fabulam de statua

Memnonis cambiet cum ad praesentiam Vocalium tantorum exoriatur, sicut illa ad or-
rum solis facta fuit vocalis; Vestram implorat, (Vos etenim veluti Intelligentias supre-
mas triorbi Regulari S. Religionis Praepositos contemplant) tutelarem assistentiã, certus
quod scietis gratiosè protegere; qui digni inventi estis inter tot millia ipsum triplicatũ
Seraphicæ Religionis Cælum regere; Vestrum implorat Gratiarum motum, sine quo
cessabit omnis influxus in alios, omnis operatio, non secus ac cessante assistentia Intel-
ligentiarum sphaeris in caelestibus, impulsu verò à vobis accepto in motu suo non com-
movebitur, idque magis indubiè & quasi certius, ut sic dicere liceat, quàm sit Intelligen-
tiarum, nam de virtute earum motrice Philosophi certant, & adhuc sub Iudice lis est,
de vestra non est ambigendi locus, rem extra controversiam extraxit Seraphicus Patri-
archa Noster, dum definitivè praescripsit triplicem, *Mansuetudinem* nempe, *Modestiam*
& *Humilitatem*, hæc est trias triformis motus Perfectionis Vestrae, quæ facit quòd nun-
quam virtutes Cælorum horum movebuntur, & qui moverentur? cum sint funda-
ta super insignem magnamque sanctitatem, ut etiamsi moveri contingerent motæ fa-
cilius reducantur, habet etenim deprecatores Sanctos orantes multum pro populo &

Fra-

Fratribus. Hæc trias Virtutum vestrarum mihi facit spem, & excitat fiduciam quod Sol meus triplex in vestri cœli (cui assistentes in ministerium missi, electi & vocati) Zodiaco habebit ingressum, progressum & decursum; Habet etenim Sacratissima D. Francisci Religio Zodiacum, seu etymon petat quis à *Zoi*, quod vitam significat, ut proinde vita viventium dicatur; sive postulet, à *Zodion*, quod animal interpretatur; Nam animalia tua habitabunt in ea; sive denique à *signifero*, Patriarcha namque Seraphicus signifer Angelus est, *Vidi enim alterum Angelum ascendentem ab ortu Solis habentem signum DEI vivi*; Quomocumque accipiatur habet Zodiacum, Regulam scilicet in duodecim sectam divisiones & capita, quæ profitentibus suis vitam influit & salutem, diversosque in Observatoribus operatur & significat effectus; *Ariete* jure denotat Sacrificium voluntariè sacrificantium, & se se DEO solenni Professione devoventium, voluit enim in dura Moysis Lege olim Arietibus & hædis medullatis placari Numen. *Taurum* habet mugientium Prædicatorum quorum sonus in omnem exit terram olim & nunc quotidie clamare non cessant, Taurum indefessorum in vinea Domini Laborantium & pondus æstus diei in Missionibus Indiarum tam Occidentalium, quam Orientalium, ac ipsiusmet Palæstinæ portantium; Taurum in Messè multa plenos manipulos in horrea Domini deferentium. Habet *Geminorum* ad se invicem concordiam, geminarum dilectionis DEI & Proximi præceptum, geminam Operationis & contemplationis vitam, qua non sibi solis vivere sed & aliis proficere satagunt. De *Cancro* dubitari posset, cum retrocedere non liceat, cum qui semel mittit manum & respicit retrò regno DEI dignus non est, cum Religiosus non semper proficiens deficiat. Habet tamen, cancrum feroces mordentem Hercules, cancrum Liberatorum de sanguinibus. *Leoni* assimilantur, quia Leoni de tribu Juda copulantur, quia Charitate fervidi & flammei, quia fortitudine stabiles, quia ad ostia tabernaculorum infomes diu noctuque excubant. Astrum *Virginis* voto castitatis exprimitur, Tales suos efficiens, ut foedus cum oculis pangant, nè quidem cogitent de Virgine, eâ acceptâ quæ omni caret maculâ, in qua nec modus Originalis, nec cortex actualis culpæ est, quæ tota pulchra est, tenens in manu spicam fortunatissimam, & primæ imo & infinitæ Magnitudinis ex qua panis Angelorum pistus factus est cibus Viatorum. Habet cœlestem Justitiæ Sanctæ *Libram*, quæ eo feliciter Jus suum cuique tribuit, quo liberius nihil asseclæ possidere cupiunt. Contra serpentem insidiantem calcaneo superbientem Angelum cupientem regnare & ponere Solum ad Aquilonem *Scorpium* habet humilitatis, quæ caput ejus conterit & sedem miserè decidentis gratiæ promeretur. Habet & *Sagittarium* Seraphicum potentem Venatorem, Amori simul Divino positum quasi ad signum se exercenti, totum telis quinque ignitis confossum, etiam sagittantem immaculatam, imò verius habet sagittarios circum euntes & per vicos & plateas transilientes colles habentes in manu sagittas salutis Verbi DEI. Habet *Capricornum* fugientium sub forma & vili habitu Laneo Mundanum Thyphæum, Capricornum à Pan assumptum, figurâ anteriore capram, piscem posteriore repræsentantem, dimidiantium pisces, imò exuperantium cum pane anni partes cibus efurialibus, Paschales. Habet & Ganimedæum *Aquarium* fundentem aquam abstinentiæ & sobrietatis. Habet pisces enatantium ex procelloso mundi Oceano seu potius conservatorum ab universalis mundi Tenebrarum harum & peccatorum cataclysmo. Vidistis Rm̃i Patres, quia Intelligentiæ præpositæ, estis habentes scientiam sicut Angelus DEI, intellexistis Cœlum Vestrum habere Zodiacum, addo etiam habere suas Zonas quibus semper præcingitur, tot quot funiculis constringuntur, & in vinculis Adam trahuntur, habet torridas amoris & zeli, temperatas lenitate & compassione, frigiditas timore & nuditate. Ad vos igitur Reverend. Patres mea revertitur petitio, admitte solem triformem meum in cœlo Vestro ingredi, assistite, moveate & fovete, constituite eum in loco habitationis Vestræ ut fiat particeps horum omnium bonorum, amplectamini inter charitatis & dilectionis brachia ut nemo vel hinc eum despiciat, interim ego Rm̃is Paternitatibus Vestris congratulor de felicissima Electione & fortunatissima inauguratione, & augurando atque exoptando prosperum regimen, vitam longævam, exaltationem Majorem, Omnium Cœlestium Charismatum abundantiam, & tandem Beatam perennitatem, maneo.

Reverendissimarum Paternitatum
Vestrarum

Subditus obediens

F. AMANDUS HERMANN.